



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

IX. Conventus apud Marsnam I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

SACRAMENTVM POPVLI.

Si Lodhuuigs sacrament que son fradre Karlo jurat conservat, & Karlus meos fendra de suo part non lo stanit, si io returnar non lint pois, ne io ne veuls cui eo returnar int pois in nulla aiudha contra Lodhuuig nun li iver.

*Tandisca autem lingua.*

Oba Karl thea eid, then er sine mo

bruodher Ludhuuigve gesuor, geleistit, ind Ludhuuig min herro then er imo gesuor, forbrichit, ob ih ina nes arvenden nemag, noh ih, noh thero thein hes iruvenden mag, imo ce follusti vvidhar Karle ne vvirdhit.

*Quibus peractis, Lodhuvicus Rheno tenuit per Spiram, & Karolus juxta VVasagum per Vuirzumburg, VVarmaqiam iter direxit.*

TITVLVS IX.

Conventus apud Marfnam I.

*HÆC QUÆ SEQVUNTVR CAPITVLA ACTA sunt quando tres Reges fratres, Hlotharius scilicet, Hludouuicus, & Karolus, simul convenerunt secus municipium Trejectum, in loco qui dicitur Marfna, anno incarnationis dominice DCCCXLVII. per mensem Februarium. que etiam capitula singulorum adnuntiationes sequuntur.*

C A P. I.

**D**E pace & concordia atque unanimitate trium fratrum & Regum inter se, & quod verissimo & non ficto caritatis vinculo sint uniti, & ut nullus deinceps scandalorum inter eos occasiones ferere possit.

I I.

Vt ipsi mutuò sibi auxilientur, & contra Dei sanctæque Ecclesiæ ac suos inimicos secundum opportunitatem temporis invicem adjuvent.

I I I.

Vt nemo per quamlibet cupiditatem leges pacis in cujuslibet eorum regno convellere præsumat. Quod si facere præsumpserit, communem ab eis ultionem incurrat.

I V.

Vt Ecclesiæ Christi per omne eorum regnum pristinam dignitatem honoremque retineant, & quicquid superstitè Domino Hludouico Imperatore jure legitimo possederunt, absque ulla deminutione recipiant.

V.

Vt singulis eorum fidelibus talis lex conservetur qualem temporibus priorum Regum & præcipuè avi patrisque eorum habuisse noscuntur, si tamen & ipsi pristinam fidem erga ipsos conservent.

V I.

Vt rapinæ & depredationes, quæ quasi

jure legitimo hæcenus factæ sunt, penitus interdicanter, & nemo se impunè post hæc eas præsumere posse confidat.

V I I.

Vt in singulis partibus regni Missi idonei constituantur, qui querelas pauperum & oppressiones sive quorumcunque causas examinare & secundum legis æquitatem valeant definire. Et si ab uno in aliud regnum hujusmodi præsumptores confugerint, ibi similiter opprimantur.

V I I I.

Vt nullus in omni eorum regno deinceps raptum facere præsumat. Aut si fecerit, legaliter puniatur.

I X.

Vt Regum filij legitimam hereditatem regni secundum definitas præsentis temporis portiones post eos retineant, & hoc quicumque ex his fratribus superstes fratribus fuerit consentiat, si tamen ipsi nepotes patruis obedientes esse consenserint.

X.

Vt legati ad Ducem Brittonum mittantur, qui de communi erga eos observatione pacis eum commoneant.

X I.

Vt similiter ad Regem Nordmannorum legati mittantur, qui eum contestentur quod aut pacem servare studebit, aut communiter eos infensos habebit.

## ADVNNTIATIO

DOMNI HLOTHARII.

Nobis & fratribus nostris visum fuit ut ad Dei voluntatem quaerendam qualiter sancta Ecclesia recuperata esse possit, & pacem & nos ac vos & iste populus Christianus habere possimus, nos simul con- jungeremus, sicut nunc fecimus, & sic si- mus inter nos sicut fratres per rectum esse debent. Et pro certo illud sciatis, quia gratias Deo sic sumus & sic permanere ad- iuvante Deo in ante volumus, & in con- silio & in auxilio unusquisque erga alterum parati sumus adiutorium ferre, sicut fra- tres in Dei voluntate & communi profes- su facere debent, in quibuscunque po- tuerimus.

## ADVNNTIATIO

DOMNI HLVDOVICI.

I. Sciatis quia fratres nostri & nos nos- tros Missos ad communem nepotem nos- trum in Aquitaniam mittimus, & ei tales comitatus designatos mandamus in quibus ipse cum suis interim sufficienter esse pos- sit, & fideles dilecti fratris nostri Karoli de illo regno pacem habere possint, usque dum idem nepos noster ad commune pla- citum nostrum veniat, ad quod cum tali securitate à nobis accepta eum venire mandamus ut sanus venire & sanus stare & sanus reverti, quantum illum Deus salva- re voluerit, possit. Et si tunc nostrum consilium audire voluerit, volumus cum Dei adiutorio & vestro consilio considera- re quomodo melius secundum commu- nem profectum & utilitatem in ante esse possit. Et si nostrum consilium audire non voluerit, tunc sicut melius cum Dei adiutorio & vestro consilio invenire po- tuerimus, exinde agere volumus.

II. Sciatis etiam quia similiter Missos nostros ad Brittones mittimus, & illos ad communem profectum & pacemhorta- mur. Qui si audierint, aut non audierint, cum Dei adiutorio & vestro consilio exin- de etiam facere volumus.

III. Sciatis quia communiter Missos nostros ad Nordmannos pro pace acci- pienda mittimus.

IV. Sciatis etiam quia dilectus frater noster Hlotharius Missos suos ad suos ho- mines transfinitit qui usque modo in con- trarietatem dilecti fratris nostri Karoli fue- runt, & illis mandat ut per nullum inge- nium in ante, sicut de Dei & sua gratia

gaudere volunt, in illius & fidelium ejus contrarietatem aliquid faciant.

V. Et sciatis quia volumus ut res Ec- clesiarum, in cujuscunque regno caput fuerit, tam de episcopatibus, quam de abbatis, sine ulla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum, sicut tempore Dom- ni ac genitoris nostri fecerunt, illas possi- deant.

VI. Similiter & de episcopatibus & monasteriis, ubicunque in nostro commu- ni regno aliter est modo quam debeat, vo- lumus una cum Dei adiutorio illud emen- dare, ut Ecclesia Dei suum honorem de- bitum habere possit, & populus suam le- gem & justitiam habeat.

## ADVNNTIATIO KAROLI.

I. Sciatis quia dilecti fratres nostri & nos communiter nostrum placitum ad Missam sancti Iohannis apud Parisium conditum habemus, ubi de istis que illi modo dixerunt & ceteris que ad Dei vo- luntatem & nostrum ac vestrum commu- nem profectum invenire potuerimus confi- deremus & una cum Dei adiutorio ad effectum perducamus. Et volumus ut ab hinc in ante, ubicunque unusquisque fue- rit, cum pace consistat, & ad illud placi- tum cum pace unusquisque veniat: quia in istis miseris & rapinis usque modo mul- tum Deum offendimus. Vnde nobis Dei misericordiam deprecari satis necessarium esse cognoscimus.

II. Volumus etiam ut unusquisque li- ber homo in nostro regno senioresem qual- em voluerit in nobis & in nostris fidelibus accipiat.

III. Mandamus etiam ut nullus ho- mo senioresem suum sine justa ratione di- mittat, nec aliquis eum recipiat nisi sicut tempore antecessorum nostrorum consue- tudo fuit.

IV. Et volumus ut sciatis quia nos fide- libus nostris rectum consentire volumus, & contra rationem eis facere non volu- mus. Et similiter vos ac ceteros fideles nos- tros admonemus ut vos vestris hominibus rectum consentiatis, & contra rationem illis non faciatis.

V. Et volumus ut cujuscunque nostrum homo, in cujuscunque regno sit, cum se- niore suo in hostem vel aliis suis utilitati- bus pergat, nisi talis regni invasio quam lantuveri dicunt, quod absit, acciderit, ut omnis populus illius regni ad eam repel- lendam communiter pergat.